4
Mus. Th.
915

Mus theor. 4°
915

Luscinius.

# MVSICAE INSTITVTIONES

Othmari Nachtgall Argetini a nemine un-
quã prius pari facilitate tentatę, ſtu
dioſis, qui ἀμούσοι eſſe nolint nõ
mediocriter conducibiles.

N. Gerbelij D.D.D. ad lecto
rem Hexaſtichon.

Si tibi prædulces unquã placuere Camœnę
Si lyra, ſi citharæ te rapuere ſoni,
Si petis Amphiõ fieri, uel Thraciꝰ Orpheus
Si te muſarum non pudet eſſe ducem
Non graue prædocti tibi ſit legiſſe libellum
Othmari, tenet has quas memoramus opes

Σοφία μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον

Ioannes Knoblouch notis æreis
excepit Argentoraci.

112 = A

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

# OTHMARVS NACHTGALL AR
gẽtinus, chariſſimis amicis Symphoriano
Pollioni, & Ioanni Rudolphingio
maioris templi Argentineñ. vi-
carijs, S. P. D.

Rogatus aliquoties ab amicis, ut muſicas
inſtitutiones, quas olim in frequẽti Vie-
nenſis Academię auditorio ꝓfeſſus ſum,
hic in natali ſolo æreis notis excribi cura
rem, quo ſtudioſa iuuentus hanc diſciplinam tanquã
aliarum omniũ altricem & ornamentum, ſtudiorum
ſuorũ ſupellectili adijceret, diu ut id agerem, non ſup
petebat ocium. At ubi iam paululum a laborũ mole
reſpiraſſem, uotoqꝫ multorum feciſſem ſatis, uos in
primis oppido quam idonei eſtis uiſi, quibus id nego
cij tribuerem, ut me alioqui beneficijs ueſtris multifa
riam adiutum, nũc ubi maxime opus eſt, a ſciolorum
turba, qui uniuerſæ rei muſicæ male uolunt, ueſtra in
duſtria uindicaretis. Melius enim huius operis & in-
ſtituti gnaros ego delegerim patronos, quam princi-
pes quoſlibet, quum ingenio facile tuleris ſuppetias
artibus, armis uero, quibus hi nõnihil poſſunt, haud
quaquã. Habebo igitur in uobis (dummodo non de-
trectetis operam) ingenuos Mœcenates, muſicũ pla-
ne inſignem Symphorianum, Rudolphingium dein
de μουσικότατον. Sic ẽm hunc appellat doctorũ hominũ
huius ætatis delitiæ ERASMVS Roterodamus
in epiſtola quadam, quam ad ſodalitatem literariam
Argentineñ. dedit, in qua & mei (qui nihil ſum) amice
magis meminit quã uere. Porro quod ad Rudolphin
gium pertinet, apte profecto quadrat, nec quenquã

inuenias,qui tali prçconio unquam habitus ſit digni-
or,penes quem rei muſicæ ſumma eſt, atq; maieſtas. Huc accedit morum integritas & politiorum literarū cultus,ut neſcias,an plus ipſe honeſtamenti contulerit muſicç,uel ab ea acceperit. Nam fuiſſe olim in ſummo precio muſicos, ſatis iam liquet ex Homerico illo carmine

πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ
τιμῆς ἔμμοί εἰσι καὶ αἰδοῦς ὅανεκ' ἄρα σφέας — Odyſſee θ
οἴμας μοῦσ' ἐδίδαξε, φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν

Cantores cunctis ſunt terrigenis uenerandi
Præſtantes,muſis nãq; hi didicere magiſtris
Quos ſibi prædignos faciunt quoq; ſemper amicos.

Vnde & nihil eruditū habebatur apud priſcos ſine muſica,adeo ut in prouerbium uſq; Græcorum abierit teſte Fabio. Indoctos a muſis atq; gratijs abeſſe. Et ne quis arbitret̄ uiros parū alioqui laudatos in muſica excelluiſſe,ut Dauid regē,et alios taceā,RODOLPHVM AGRICOLAM ꝓferre libuit,Germaniç ſuç Politianū, aut ſiqd ętas ſuperior habuit in utraq; lingua terſius atq; nobilius. Huius inquā uiri non fuit in hac noſtra diſciplina quam in literis laus minor. Plato deniq; ἀμούσους iſtos(muſicæ oſores dico)a rep. bene inſtituta tanquā pernitioſam quandam peſtem prorſus eliminandos cenſuit,neq; id ab re, quãdoquidem inquit,diſcors illa animi habitudo, quæ muſicæ concordiam non admittit, nunquā ſatis idonea extiterit ad reipub. conſeruandam unionem,quum nil aliud ſit reſpub. quā ex ſummis,medijs, & infimis ordinibus (ut Scipio tradidit) unicus quidam conſenſus, & quę harmonia a muſicis dicit̄ in cantu,eam eſſe ait in ciuitate concordiā. Cęterum nonnihil momēti ha-

Aug. de ci. lib. ij. c. xxi

bere muſicam ad compōnēdos in repub. ſeditionum tumultus, edocuit Terpander Leſbius cantor, qui cō ſulto oraculo, ad Lacedæmonios tunc ſeditioſos miſ‑ ſus, canendo ſic illorum deliniuit animos, ut depoſita inter ſe ſimultate, protinus in concordiā ciues ſint re‑ dacti. Nec minus creditū eſt (quādo non mediocrem cōſtat eſſe cōſinitatē animoꝶ & corporū) muſicā ple riſq; mederi morbis. Sanguinē certe Vlyſſis ab apro uulnerati Homerus carmine conſtitiſſe cōmemorat.

ἐπ᾽ ἀοιδῇ δ᾽ αἷμα κελαινὸν ἔσχεθον — Odyſſeæ τ

Cœperat hinc ater cantu conſidere ſanguis

Vt interim ſileam Græcorum exercitium cantu peſtilentia, qua impenſe laborabat, olim fuiſſe leuatum, teſte eodem Poeta,

οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο
καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι ἀχαιῶν — Iliados α
μέλποντες ἑκάεργον, ὁ δὲ φρένα τέρπετ᾽ ἀκούων

Placabant iuuenes Argiui carmine Phœbum
Et totis reſonant pulchrum Pæana diebus
Mittentemq; procul laudant iacula, Ille ſonoras
Accepit placido, lætatus pectore uoces.

Nullum proinde eſt ad tolerandos labores corpo‑ ris, remedium muſica efficacius, uel Marone teſte, Sic enim ſcribit ille,

Interea longum cantu ſolata laborem,
Arguto coniunx, percurrit pectine telas. — i. Geor.

Quid referā nebulas & tetrum caliginem? Sollicitudi nem inquam & erumnas blando concentu ueluti cla riſſimis Phœbi radijs diſpergi? nā id compertū habēs Achilles quum a Chirone adhuc adoleſcens in muſi‑ ca fuiſſet nō uulgariter inſtitutus, acerbe ferens ſe ab Agamemnone contemptui habitum, ad muſicam cō

fugit tannquam unicum anxietatis remediũ. Quæſitum enim a legatis Græcorꝫ inquit Homerus.

τόμ δ᾽ εὗρομ φρένα τερπόμενομ φόρμιγγι λιγείῃ
καλῇ δαιδαλαίῃ, ἐπὶ δ᾽ ἀργύρεος ζυγὸς ἦεμ
τὴμ ἄρετ᾽ ἐξ ἐνάρωμ πόλιμ ἠετίωνος ὀλέασας Iliados ι
τῇ ὅγε θυμὸμ ἔτερπεμ, ἄειδε δ᾽ ἄρα κλέα ἀνδρῶμ

Mulcentem inueniunt cithara mentem ſibi dulci
Argentum inſignem quam paſſim nexibus ornat
Hanc tulit euerſis inter ſpolia optima Thebis
Hac oblectabat animũ, cantuqꝫ uirorum
Fortia geſta refert

Sed quum muſicæ laudibus diutius immoror, ipſe mihi nõ temperans, uereor ne me lector arguat, plus ſatis mea mirari ſtudia, Deinde (niſi me fallat opinio) non tam ullos uideas ad hanc diſciplinam moueri, attrectãdam meo hortatu, quã rei ipſius dignitate, At ego pſpicuũ nõ habeo, quid magis deceat uirum chriſtianum, quam in dei pręconio exercitari, quod cœlites dies nõ ſilent, neqꝫ noctes, Ioannes pontifex. xxij. in quadam ſanctione, quę incipit, Docta. Cõſonãtiæ (inquit) auditum demulcent, deuotionem prouocãt, & pſallentium deo animos torpere non ſinunt. Deſyderat hanc diſciplinam in oratore perfecto Fabius inſtitutionum ſuarum libro primo, Ariſtoteles in octauo Politicon adulescentes in ea iubet facere periculũ, quod & Comicus ſentire uidetur quum inquit in literis, in muſicis, in palęſtra liberalia nimirum ſignificãs ſtudia. Poſtremo ex mea quidem ſententia quum nedum honeſtum ſit hoc ſtudium, ſed & uoluptatẽ quãdam ſecum adferat, ad quam alioqui mirum immodũ natura propenſi ſumus, Nihil rerum omniũ ſalubrius coit, quam ſi iucundum coniunxeris honeſto, ſicut

contra nihil fœdius ea eſt uoluptate, quæ cum hone⸗ ſtate nihil habet commercij, Iſocratis hic libuit ſubſcribere uerba, quæ nobis prędarum ferunt ſuffragium, τέρψις δ' σὺν τῷ καλῷ μὲν ἄριστον, ἄνευ δὲ τούτου κάκιστον, Valete amici chariſſimi, ueſtroq; Othmaro utamini pro uoto, Argentine ad Non̄. Auguſti, Anno quintode⸗ cimo ſupra ſeſquimilleſimum.

## DE VOCE EIVS VARIETA⸗ TE, ATQVE ACCIDENTIIS.

Quum omnis muſicæ ratio circa uocalem numerū uerſetur, conſentaneum fuerit, a uoce tanquā huius noſtri inſtituti fonte, atque uniuerſitate fundamenta iacere. Eſt autem uox ex Platonis ſententia, teſte Gellio, repercuſſio quædam aeris, adeo uehemens, ut fiat audibilis, unde ἀπὸ τοῦ βοάω, quod eſt clamo, quidā uo⸗ cem deductam uolunt. Et licet harmonica non careat ratione, eodem iugiter obſtrepēs tenore uniſonus, tamen quia ſine ulla inæqualitate, perpetua ſimilitudi⸗ ne ſimplex eſt, audiri nō poteſt citra faſtidium, quum nihil admodum appareat iucundum, quod non idem ſit & uarium, De qua re uel Lucianus perſpicuam fi⸗ dem fecerit. Ita enim ille ſcriptū reliquit in Chirone, τὸ γὰρ ἡδὺ ἔγωγε ποικίλον τι καὶ οὐκ ἁπλοῦν ἡγοῦμαι εἶναι. Iu⸗ cundum quidem ego id eſſe arbitror, quod uariū eſt, & minine ſimplex. Ac poſt puſillū, οὐ γὰρ ἐν τῷ αὐτῷ ἀεί, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μεταχεῖν ὅλως τὸ τερπνὸν ἦν. Nō em̄ qđ ꝑpetuo idē eſt, ſed uicibus quibuſdā uariatū delecta⸗ bile fuerit. Perbelle igitur luxuriare uidetur hæc no⸗ ſtra diſciplina ſeptem diſparibus uocibus ad inſtar ſeptē cœli orbiū, quas ſcalarum loco quocūq; ꝑgas ha⸗

bet,ſiue in ſublime,ſiue in infima,Nam his uijs tædiū amolimur,ſemper conſiſtentis uniſoni. Octaua autē uox diapaſon,ſono quidem diuerſa eſt a prima,cæterum utrobiq; concors eſt parilitas,ad quod reſpexiſſe uidetur Vergilius,qui ut nullius fere diſciplinę,ita neq; muſicæ ignarus fuit. Nam de Orpheo modulante ſic ſcribit,

Necnon treicius longa cum ueſte ſacerdos — Aenei.
Obloquitur numeris ſeptē diſcrimina uocū — vi.

Poſterior proinde ætas ſex duntaxat uſa eſt uocibus,quarum hæc ſunt nomina, ut, re, mi, fa, ſol, la, e qbus geminas Guido muſicus bmolli(ut ipſius utar uocabulis) cantui adcommodat,ut & fa, Binas bdurali,mi & la,ac duas naturali,re & ſol. Deniq; triplici ordine illas intra ſpaciū diapente, & bis diapaſon cōplexus eſt,quarum initium pueri ſummitati pollicis, docentibus magiſtris attribuebant, ac reliquæ deinceps digitorum iuncturę ſingulas recipiebant. Vnde & canendi per longas ambages coniecturam quandā uenabantur. Sed quid hiberis nenijs diutius immoror? quando ad ea docenda,quæ cognitu facilia ſunt, & ad recte canendum longe utiliſſima mihi ſit properandum. Voci accidunt duo,intenſio & remiſſio. Intenſio eſt qua ualide admodum atq; potenter uox erigitur. Remiſſio eſt lenta ac molliuſcula uoculationis depreſſio. Remiſſio ſola fit inter mi & fa,at inter reliquas intenſio.

## DE SONO ET EIVS DIVISIONE

Sonus eſt harmonica qualitas,qua uox a uoce ſitu diſtinguit. Soni ſunt quatuor,grauis,medius,acutus

excellens. Græci ferme eiuſdem ſignificationis uoca‑bula illis indidere ὑπάτη, μέση, νεάτη, καὶ ὑπερβολή. Grauis ſonus urgente rerum natura, infimū locum occupat, ſequentē medius, tertium acutus, & ſummū excellēs.

## DE CLAVIBVS.

Clauis eſt uocis formandæ index, lineæ adhærens, aut linearnm interuallo. Græci ſingulas ſuo appellāt nomine. uerū hac noſtra ętate, ſeptem prima in hunc uſum literarum nobis famulantur elementa, quęter repetita, tanta miniſtrant uocum receptacula, ut etiā bis diapaſon iuxta parœmiam ſua intercapedine ſu‑perent. Cohors igitur illa in triplicem ordinem dige‑ſta, figura primum, deinde ſitu, poſtremo etiam dono inſigni quadam uarietate exuberat. Nam quod ſad fi‑guram pertinet elementi, Inferior ille primus, grandi uſculis eſt literis cōſpicuus, ſecundus puſillis uiſitur, & tertius ſeſe ingeminat. Succedit poſt hæc loci diſ‑crimen, quādoquidem lineæ accumbens clauis, aliam eiuſdem ſortis cognatā ſibi quadam ſimilitudine non habet in linea, ſed in linearum interuallo. Ad hæc ſo‑nus diſcretas reddit claues, quū infimis uoculatio ſit craſſior, medijs ac ſupremis tenuis ac excellēs magis, reliquū fuerit, ut minimo negocio clauis quæq; pecu liare ſibi nomē uendicet. Quis enim ambigit, ſi de A maiuſculo forte fortuna mentio inciderit primi ordi‑nis primam clauem ſignificari? quam & ipſam A gra uem a ſono non minus recte dixeris. Septa eſt proin‑de illa lineis, nullam prorſus cōtingens, ut a puſillum quo quum ſibi intercedit cognatio, diſcretū a ſe red‑dat, quod lineæ undequaq; eſt innixum. Acceſſit au‑tem huic trifariam, digeſto ordini g, Græcū r, ne g pu ſillum careret hypodiapaſon, quo & f puſillum, uno omniū cōſenſu, uniuerſus muſicorum cœtus iam no‑

luit deſtitui, unde factum eſt, ut duabus clauibus, ſeri em illam modo auctam, cernas. Et hæc quidem, quæ diximus, ſequens clarius oſtendit typus.

## Typus clauium.




## DE MODIS MVSICAE.

Modus eſt uocum inter ſe ab utroq; earum termino ſumptum interuallum ſiue diſtantia. Primũ nõ recte

dixeris modum, quē ab eodem ſemper tenore ſonus uniſonum uocant, eo quod uocum in eodem loco cōſiſtentium nulla ſit proportio, nullaue ex diſparitate collecta habitudo. Secundus dicitur ἑμίτονος, ſiue) ut alij uocant) ſemitoniū, qui modus eſt tenuis & remiſſa diſtantia, quam ſolum inter fa & mi comperias, ut in capite de uoce ſuperius diſſeruimus. Tertius modus his ſuccedit τόνος, Tonus intenſus motus in proximā ſecundam, Verbi gratia, de ut in re, de re in mi. Quartus modus διάτεσσαρῶν in quartā fit ex duobus tonis reſultans & ſemitonio. Διάπεντε quintus modus in quintam ſalit ex tribus natus tonis & uno ſemitonio. Sextus modus διάπασῶν octo gradibus uocū diſtantiū proportio, quinq; recipit tonos & duo ſemitonia, quo loco admonendū ſubit duo illa ſemitonia, tonum ex æquo non perficere, nam quum tonus ſeſquioctauam conſtituat proportionē, perſpicuum eſt, haudquaquā ipſum in æquales reſolui poſſe partes. Verum de hoc plura tractat Bœotius, nec nobis hic uacat de ea re loqui plenius, qui praxim muſices docēdam ſumpſimus, non theoricam. Ad hæc diateſſaron non admittere ſemitoniū, niſi quiſpiā quaſi data opēra concinnitatē tentet adimere harmoniæ, quę in hac diſciplina præcipue deſyderat, Nā tritoni qui ſemitonio plus habet διτάτεσσαρῶν & itē ſemitonio minus διάπεντε in muſica bene inſtituta, nullę prorſus ſunt partes. Lædit enim ille, ac om̄ino uitiat Symphoniā, atq; hi quidē ſex modi, quos iam enumerauimus, ſimplices ſunt, & per mutuam quandam ſyntaxim coeunt. Quid enim aliud eſt ditonus, quā duo toni? quid uero ſemiditonus, niſi tono adiectum ſemitoniū, quod & in alijs non diſſimili modo uſu uenit, ideoq; e pari coniectura pendere illorum iudiciū crediderim, quales ſunt tonus cum diapente, tonus cum diapaſon, &

prioribus quadam cognatione affines.

## DE TONIS.

Quemadmodum ignominioſum eſt uiro ciuili eius inquam forte inciderit, ignorare naturã actionis, Ita neutiquã fuerit inculpatus muſicus, qui muſam non adhibuerit ad perpendiculum, quod fieret, ſi cantionis tonum animo penſitaret. Eſt autem tonus natura quædam harmonica cõcentus, cuius ratio ex eius fine & motu hincinde colligit. Toni priſcis erãt quatuor, Aeolius ſimplex, Lydius querulus, Phrygius religioſus, & Dorius bellicoſus. Quadrifariã enim quæque ſibi cantilenæ finem conſtituunt, puta his ſolum uocibus, re, mi, fa, ſol. Poſteritas uero locupletandi cõcentus ſt, udioſa cuilibet ex his quatuor quos ἀυϑέντας, id eſt clacmoſos uocant πλαγιὸν quendã, id eſt obliquũ addiditr unde octo emerſerunt toni binis quibuſlibet unã uocem finalem occupãtibus. Re igitur uoci duo obuenerũt toni, quibus illa terminus eſſet primus & secũdus Mi uoci tertius & quartus. Fa quintus & sextus. Sol ſeptimus & octauus. Nec multũ habet momenti, quæ clauis carmini finem imponat, dũmodo uocis extremæ habeam rationem, quæ ſi re fuerit, incunctanter iam ſcio primi aut ſecundi ipſum imitari normam, de cæteris pari relicta cenſura, hoc tamen libuit obiter commemorare, quod plærumq; in quatuor illis clauibus, D E F G finis quæritur, unde & finales dicuntur, ſuccedũt illis a b c, qui affinales uocãtur. Sed nunc de his ſatis ſuperque de tonorum ſedibus cognoſcere opportunũ erat, explicauimus, Exigit nunc locus, ut autentu s a plagio quibus ſit coniecturis diſcernendus, aperiamus, autentos autem eos dicimus, qui numerum conſtituunt imparem, primũ

uid elicet, tertium, quintum & ſeptimū, hi ἀπὸ τοῦ ἀΰτειν, hoc eſt a uociferādo nomen ſortiti, in ſublime frequētius ſe erigunt. Quippe qui crebro diapaſon ſupra finalem uocem contingunt, infra eam nec ditonū quidem. Quo contra Plagij numero cōſtantes pari, quales ſunt ſecundus, quartus, ſextus & octauus ἀπὸ τοῦ πλαγιάζειν, id eſt obliquo motu diapaſon cum ditono, partim ſupra uocem extremam, partim infra perficiunt. Proinde ut res clarior fiat exemplo, faciamus periculum de uulgato cantu, quo ſacra inchoātur, Gaudeamus omnes in domino. Nam is quóniā in re uoce expirat, pro comperto habeo primi hūc eſſe toni aut ſecundi, reliquum eſt, ſi ſupra finalem uocem longius uerſetur aut infra contemplemur, plane perſpicuum eſt protinus exorſum hunc in ſublimia uolare ſupra finalem per diapente & ditonum, atque ſub eam per tonum ſemel duntaxat deſcendere, quæ res indubie indicat ad autentorum claſſem eiuſmodi cantum pertinere, quapropter recte hūc primi toni dixeris. Rurſus cātio illa, quæ integerrimæ dei genitricis orditur myſteria. Salue ſancta parens inquam quū in eadem uoce occidat, qua gaudeamus, plagiorum conſtringitur lege, eo qnod ab hypodiateſſaron finalis uocis ſumat initia, inde contenta ditonū compleſſe, lente conſurgens, æqua ferme ab extrema uoce ſpacia motus, ultro citroqꝫ complectitur, cantus ſecundi nimirū toni. Cæterum extant peculiaria quædam cuiuſqꝫ toni ex motu dephēſa indicia. Pergratum enim eſt primo ſalire in quintam per re la. Secundo in tertiam per re fa. Tertio in ſextam per mi fa. Quarto in quartā per mi la. Quinto in quintam per fa fa. Sexto in tertiam per fa la, Septimo in quintam per ut ſol, & Octauo in quartam per ut fa. Et hæc quidem ſufficere arbitror ad toni exactam habendam cognitionem.

## DE TONORVM TENORIBVS.

Eſt preterea tono ſuus cuiq; tenor, qui pauculis qui buſdam uoculis circumſcribitur, a tenẽdo ſic dictus i eo quod cantus incepti harmoniam incorruptam cõtineat, quod genus eſt pſalmorum concentus, quorum quidam ex ſacro euãgelio deprompti ſunt, qui & maiores appellanť, quales ſunt, Benedictus dominus deus iſrael, Magnificat, & Nũc dimittis. Alij a regio poeta Dauid creduntť editi, & uocanť minores. Hi omẽs dum ſub legitimo toni tenore reſonant, ubi ad finem uentum eſt, iam tenor id agit, ut minimo negocio cœptam ante pſalmũ cantionẽ, quam & Græco uocabulo ἀντιφώνην uocant, in genuina harmonia abſoluas. Primi igitur toni tenor in epidiapente incipit a finali, & hanc uocum ſeriem cõplectitur la la ſol fa ſol la ſol. Secũdus in in epihemiditono hoc ordine intonat fa fa ut re. Tertius in epidiapente iuncto hemitonio, fa fa re fa re ut. Quartus in epidiateſſaron re ut re fa ſol mi. Quintus in epidiapente, ſol ſol fa la ſol mi. Sextus in epiditono, la la fa ſol la ſol fa. Septim⁹ in epidiapẽte, ſol ſol la ſol fa mi re. Octauus in epidiateſſaron fa fa mi fa re ut. Et hæc de fine quidẽ ſimpliciter dicta ſunt, porro quod ad principia pertinet. Ptimus & ſextus plærũq; æqualiter ordiuntur. Secundo confinis eſt ab initio octauus, at reliquis ſuus cuiq; mos eſt, tãtaq; paſſim in hac re obruit uarietas, ut qui de hoc conetur præſcribere, plane luſerit operã. Nam (ut obiter & hoc ſemel dicã) Cœnobitis ſicut uniuerſim cũ alijs mortalibus diſſidet uita, ita & prorſus nobiſcum diſcors eſt cõcentus. Sed illis forte ſua plus placent, ſi fuerint tortuoſa & parum cõcinna. Tenores certe tonorũ fere uicatim uariari conſtat, deniq; chaos quoddam cõfuſum ingerunt differentiæ, quas a cantilenarum initijs rationẽ ſumere compertũ eſt. Ad hæc indi

unis illis ac domeſticis peregrinũ quendam & exoticem adiungunt, qui pſalmi In exitu iſrael ſit peculiaris. Verũ ſingula hæc perſequi quũ plurimum afferat negocij, ad artificiũ plane cõfert nihil, nã quis (niſi alienus a philoſophiæ ſtudijs) arti ſubiecerit, quod generatim ad unũ quoddam contrahi nequeat. Admonuiſſe tamẽ uolui eos qui muſici futuri ſunt, ne male audiant ὄνος λύρας, ut Polypum quendã agant, imitãdo eos, quibus cũ illis eſt conſuetudo, omnino optimum quenquã, nec dedignent̃ clariſſimũ eccleſiæ Chriſtianæ doctorẽ Auguſtinũ ſequi, qui adeo propẽſus erat ad ſtudia, ut ab anniculo puero diſcere ea quæ opus eſſent nõ erubeſceret. Deniq; ſcribens ad Ianuarium Ad quãcũq; inquit forte eccleſiam ueneris eius morẽ ſerua, ſi cuiquã nõ uis eſſe ſcandalum, nec quẽq; tibi.

## EPITOME TOTIVS REI MVSICAE.

Res exigit, ut poſteaquã conciſim ea quæ huic noſtro inſtituto congruere uidebant̃, explanauimus, iã ad docendũ generatim quo nã modo ipſa uſui futura ſint, accingamur, quãdoq̃dẽ in ea re huius negocij ſũmã plane ſitam eſſe auguramur. Primũ ſane quod in muſico deſyderamus, eſt, ut ad claues quæ in libris cãtiõibus præferunt̃, animũ tanquã ad ſcopon intẽdat, aſueſcat proinde eas quæ ſignatæ non ſunt, harũ interuallo certa coniectura deprehẽdere. Verbi gratia, c clauis plærũq; in cantus exordio uiſitur, ab hac non fuerit operoſum, ſi ſcanſim in ſecundũ linearum pergas interuallum, conijcere cuius illud clauis exiſtat receptaculum, hac uia, proximũ interuallũ a c, eſt d, ſequẽs linea e, ſequẽs interuallũ f, pari negocio fiet in reliquis. Sunt autẽ quinq; quas offendimus cõſcriptas in libris. Γ. F, uel eius loco ⁊ c. g. & dd. Cõſequẽs fuerit in omĩ cantu fa uocẽ inquirere, & ab eadẽ per line-

as & linearũ intercapedines facta ſupputatiõe, donec claue optatã cõtingas, uocẽ quã illic reſones aſſequi. Fa igit̃ uocẽ habet oĩs cantio in clauibus, quæ f literã geſtant, unde & maioribus noſtris eaſdẽ colore rubro quaſi purpura quadã inſignire mos fuit, quẽadmodũ uidere licet, fere in omnibus codicibus ſupiore ætate cõſcriptis. Eſt præterea fa peculiare quinto & ſexto tonis in clauibus, quæ b literã cõtinent, quã & ipſam in libris aliquãdo uidimus prominere tã̄ minime uulgarẽ. Reliqui uero toni ꝓpriũ nacti ſunt fa in clauibus, quę c literã gerũt, Eſt quãdo nec hi quidẽ toni fa in b reſpuunt, quũ fa qđ illis eſt ꝓpriũ in c, unico etiãdum gradu nõ cõtingũt, exẽplo eſt initiũ cõcẽtus illiꝰ de ſanctiſſima dei genitrice Salue regina, Hoc tamẽ crebrius uſu uenire in primo tono & ſecũdo admonuiſſe uelim, nã ſi id paſſim in aliis pariter fiat, nõ mediocriter uitiari harmoniã cõſtat, Cæterũ ſi cantũ quẽpiã uolueris artificioſe reſonare, cõſyderes oportet in primis eius motũ a prima cãtus nota, qui ſi fiat in ſublime, cõtẽpleris ubi nã ſuꝑ eadẽ, fa uocẽ repias, qua habita, inde deducta ſupputatiõe, primæ illi notæ uocem miniſtrabis, inde ubi carminis motus, te ad huiuſmodi fa traduxerit, uide ſi ultra duos gradus denuo tibi trãſeundũ ſit, tunc enim dũmodo re uox obueniat ex ſupputatione, recte poſt fa re dixeris, ſin ut emerſerit, poſt fa ſol, & poſt ſol re dicẽdũ eſt. Verũ ut hæc ſyncerius liqueãt, duo proponã exẽpla. Primũ in cãtico. Salue ſancta parens, cuius primæ notę uocem exhibet fa, qđ eſt in C. Duobus eñ gradibus ſupputatis, eueniet re, inde poſt fa ꝓſpiciendũ eſt ad ſequẽs fa, puta in F. Vnde ex calculis ea quæ ſequit̃ nota, re uocẽ ſortiet̃. Hoc eñ ordine ſe uoces cõſequunt̃. Re fa re fa re. Alterũ exẽplũ ſit, Gaudeamus oẽs in dño, in quo cõcẽtu primæ notæ quæ in C cõtinet̃, ut uox

eueniet, deducta ſupputatiōe a fa, quod eſt in F, inde quoniā in altū cātus erigit̃, a ſecūdo fa qđ in c cōſiſtit, re, ꝓueniet, quādoquidē poſt fa ut obtigerat a fa ſuperiori. Iſta nāq; eſt uocū ſeries, ut re re re fa re. At cōtra ſi deſcēdat cātus, ubi poſt fa la eueniet, adhibito calculo, haud abſurde la dixeris, ſin uox quædā ſit media, ea erit mi, mox uoce la hanc ſequente. Videor autem in hac re muſices ſtudioſis gratificari, ſi totius negocij uniuerſitatem duobus typis expreſſero.

# Typus vocalationis quinti et sexti toni



# Typus uoculationis alio-rum ſex tonorum.




## AD LECTOREM.

Habēs lector ſtudioſe quibus uijs ad muſicen, uocalem profecto diſciplinam, & minime mutam tibi aditum pares. Noueris autem quędam conſulto à me in hoc opere eſſe obmiſſa, quæ ſcire cōueniet, eū qui cōcentum ex pluribus partibus compoſitum abſoluere uolet, illum dico qui poetarꝫ carmina prope modū

imitat᷑ imparibus quibuſdā modulis ſonorus, cuius nos quādoq; ſub Bolfgango Grefingero, qui modo apud Vienenſes Auſtriacos agit, haud pœnitēdo prę ceptore, & alijs quibuſdam bonam partē cōtigimus, de quo & in poſterum deo auſpice, tāto felicius inſti- tutiones tra dem us, quanto facilius eſt bonum ſe prę ſtare militem q̄ ducem, dummodo hæc exigua bonis placuiſſe cognouero, Nam quicquid hic offendis me- um eſt inuentum, & meo marte elaboratum, ne plæ- riq; eruditiorū μουσίζειν detrectent, ac a laborum mo- le, quam ueteres ingerebant præceptores, deterrean tur, Nam hi manibus geſticulando, & paſſim in digi- tis, neſcio quid anxius atque curioſius inquirēdo, mi mos ſe potius præſtabāt auditoribus, q̄ muſicos. Ve rum nemo nobis hanc prætentauit uiam. Vnde ſi la- pſi fuerimus, eo magis meremur ueniam, quum idē clariſſimis etiam quibuſq; in re Theologica uſu uene rit, ut Adamantino Origeni & Firmiano Lactantio. Vale, Argētoraci Non̄. Auguſti. Anno ſalutis. quin- todecimo ſupra ſeſquimilleſimum.

ſunt ſic partibus quibuſdā modulis ſonoris, cuius no quidē [illegible] Wolfgange C[illegible] cui modo apud Viennenſes Auſtriacos agit haud pœnitendū pre ceptore, & alijs quibuſdam bonam parte cōtigimus, de quo & in poſterum deo auſpice, tāto felicius inſti tutiones eaſdem uſq; quanto facilius eſt bonum ſepe ſtare militem ꝗ ducem, dummodo hæc exigua bonis placuiſſe cognouero. Nam quiſquid hic oſtendis me um eſt inuentum, & meo marte elaboratum, ne ple riq; eruditiorū [illegible] ea laborum mo le, quam ueteres ingerebant præceptores, deterrean tur. Nam hi inanibus [illegible] paſſim in digi tis neſcio quid [illegible] incutiendo, ui mos ſepe [illegible] quaſi magicos. Ve rum nemo [illegible] Vnde ſta [illegible] magis mereremur ueniam, quum ide clariſſimis etiam quibuſq; in re Theologica uſu uene rit, ut Adamantino Origeni, & Firmiano Lactantio. Vale, Argētoraci Non. Auguſti. Anno ſalutis quin tolecimo ſupra ſeſquimilleſimum.

BIBLIOTH
REGIA
MONACENSIS